

**Hic describitur visitatio Totius terrae sanctae, quam hujus temporis peregrinatores perlustrant. Sciendum autem est, qui locus signo crucis tali † notatur, ibi esse remissionem et liberationem ab omni peccato et paena. Sed quae loca tale signum adscriptum non habent, ea indulgentias in septennium, quadraginta et septem dies concessas obtinere. Eae indulgentiae his locis sunt attributae a beato Sylvestro Papa, rogatu Constantini Magni Imperatoris, et divae Helenae matris ipsius.**

*Prima peregrinatio et visitatio incipit a Japha Hierosolimam usque.*

Primo in urbe Joppe vel Japha Petrus Apostolus ad vitam revocavit Tabitam ministram Apostolicam. Non procul ab ea urbe locus est, ubi divus Petrus pisces capere erat solitus. Item in urbe Lidda templum est Sancti Georgii, ubi excruciatum erat. Ibi etiam est locus, ubi Petrus sanavit Aeneam Paralyticum. Item urbs Bamula, Castellum Emaus. Ibi est locus, in quo duo discipuli Christum ex fractione panis agnoverunt. Ibi est etiam sepulchrum Sancti Cleophae, qui istorum duorum discipulorum unus erat. Itidem urbs Ramatha, ex qua Josephus nobilis ille, qui Christum de cruce deposuit, oriundus erat. Illic est templum et Sepulchrum Samuelis Prophetae.

*Visitatio Hierosolymorum, ubi isthaec conspiciuntur:*

In sacra Hierosolymitana urbe templum est, quo continetur sepulchrum Domini, ubi est mons et locus supplicii, in quo Christus crucifixus est †. Itidem locus, ubi Christus linteis involutus, depositus et unctus est †. Item sepulchrum sacrum, in quo Christus tumulatus fuerat, unde a mortuis triumphans resurrexit †. Locus ubi Christus sese manifestavit Mariae Magdalenae in habitu hortulani. Sacellum Deiparae virginis, ubi Christus primum ei apparuit, in cujus fenestrarum una est columna, ad quam Christus deligatus in domo Pilati, flagris caesus fuit. Carcer Christi. Locus ubi vestis confecta fuerat.

Sacellum Sanctae Helenae, Templum ubi crux sacra, corona, clavi, et lancea Longini reperta est †. Item alia columna, ad quam Christus alligatus erat, cum spinea corona coronaretur. Locus ubi inventum est caput Adami, in medio orbis terrarum. Item extra templum sunt quatuor sacella: primum beatæ virginis et divi Johannis Evangelistae, secundum Sanctorum Angelorum, tertium Sancti Johannis Baptistae, quartum Sanctae Mariae Magdalenae.

*Visitatio totius urbis Hierosolimitanae.*

Extra portam est templum in vico, ubi est saxum, in quo Christus crucem gerens quievit. Domus divitis ejus, qui Lazaro micas mensa decedentes denegabat. Bivium ubi Judaei Simonem ad portandam crucem adegerunt, et ubi Christus deposita cruce, conversus ad mulieres, dicebat: Nolite me deflere, sed vos et filios vestros. Locus ubi virgo Maria stans manibus prae dolore gesticulabatur, cum Christum crucem portantem conspiceret. Item duo saxa candida, in quibus Christus crucem portans paululum acquievit. Item Ludus literarius, ubi Virgo Maria literas didicerat. Domus Pilati, in qua Christus condemnatus, flagris caesus, coronatus, et morti adjudicatus fuit †. Domus Herodis, in quam Christus adductus ludibrio habitus, et contumeliae causa candida veste indutus fuerat. Item locus, ubi Christus Mariae Magdalenae delicta remisit. Piscina probatica. Item Templum Domini, in quo Beata virgo et Christus Deo consecrati sunt, et in quo Christus cum Doctoribus disputans, cum amissus esset, a parentibus reper-

tus est †. Aedes sanctae Annae, ubi virgo Maria nata est †. Porta Divi Stephani, qua ad mortem ductus est. Item aurea porta, qua Christus die Palmarum Hierosolymam inventus est.

---

### *Visitatio vallis Josaphat.*

In valle Josaphat est locus, ubi Divus Stephanus lapidibus est obrutus. Item Cedron rivus, cujus Evangelista mentionem facit, trans eum lignum sanctae crucis multos annos iter facientibus transitum praebebat. Item templum et sepulchrum Deiparae virginis †. Locus ubi Christus ter parentem coelestem adoravit.

---

### *Visitatio Montis Olivarum.*

In monte Olivarum est hortus in quo Christus comprehensus et vinctus est. Item locus in quo discipulos commorari jussit, dicens: Manete hic et orate. Item locus ubi divus Thomas funiculum a Maria virgine in coelum ascendente accepit. Locus ubi Christus Hierosolymam deflevit. Item locus in quo Angelus Domini attribuit virgini Mariae frondem palmeam, dicens: Hac die in coelum tolleris. Item locus, qui vocatur Galilaea, ubi Christus undecim Apostolis apparuit. Item templum et locus, ex quo Christus in caelum ascendit. Templum et Sepulchrum Sanctae Pelagiae Virginis. Bethphage. Item templum Sancti Mathel, ubi Apostoli symbolum suum composuerunt. Templum, in quo Christus discipulos suos orare docuit. Item locus, in quo virgo Maria fessa quievit, cum sacra loca inviseret. Templum Sancti Jacobi minoris, ubi se Christus illi manifestavit die resurrectionis, et in quo postea idem Jacobus tumultus est. Ibi etiam Zacharias propheta sepultus est.

---

### *Visitatio vallis Siloë.*

In valle Siloë fons est, ubi virgo Maria lintea purgavit, cum Christum in templo consecraret. Item fons Siloë, ubi caecus visum recepit. Item locus, ubi Esaias propheta a Judaeis dissectus est, unde non procul est locus sepulchri ejusdem. Item Ager Dei qui triginta argenteis emptus est.

---

### *Visitatio Sacri montis Sion.*

In monte Sion est locus, ubi Judaei corpus virginis *Mariae* eripere volebant Apostolis, cum exequias ejus celebrarent: Item locus, in quo divus *Petrus* iachrimabatur, cum Christum abnegasset.

Templum Sancti *Angeli*, quod fuerat domicilium *Annae Summi* sacerdotis, in quo *Christus* condemnatus, pulsatus, et verberatus fuit. Item templum *Salvatoris*, ubi fuerat domus *Caiphae* principis sacerdotum. Ibi *Christus* accusatus, condemnatus, sputis faedatus, facie velata in caput caesus, et a *Petro* ter abnegatus est. Templum *Deiparae* virginis, ubi *Christo* in coelum ablato, duodecim annos vitam egit, et ibi mortua est †. Locus ubi *Johannes Evangelista* coram virgine *Maria* missam administravit, et ubi *Sanctus Mathias* ad munus Apostolicum delectus est. Item locus orationis, ubi *Beata virgo* orare consueverat. Locus ubi secundo sepultus est *Sanctus Stephanus* cum *Gamaliele*. Locus ubi *Christus* Apostolis concionatus est. Locus ubi *Virgo Maria* sedebat, filii sui concionem audiens. Item sepulchra *Davidis*, *Salomonis* et aliorum regum. Locus ubi *agnus Paschalis* assatus est. Item *Caenaculum*, ubi *Christus* cum discipulis *agnem paschalem* manducavit, et *Sacramentum altaris* instituit, consecravitque †. Locus ubi *Christus* discipulis pedes lavit, dieque ascensionis tarditatem fidei et duritiam cordis eorum increpavit. Item Locus ubi *Apostoli* die *Pentecostes* *Spiritum Sanctum* acceperunt †. Item Locus ubi *Christus* apparuit *Apostolis* et *divo Thomae*, penetrans ad eos per *januam clausam*. Item Locus, in quo *Divus Jacobus major* decollatus est. Locus ubi *Christus* tribus *Mariis* apparuit, salvere eas jubens.

### *Visitatio Bethlemiae.*

*Bethlemiae* isthaec monumenta visuntur: Primo *diversorium trium Regum*. Locus in quo *stella* tribus *Regibus* apparuit. Item templum, ubi natus est *Elias Propheta*. Sepulchrum *Rachel*. Templum *Mariae* virginis, in quo *Christus* natus est †. Praesepe *Christi* †. Locus ubi *Christus* circumcisus est. Locus ubi *stella* evanuit. Sacellum *Sanctorum adolescentum*, et sepulchrum eorum. Templum *Sancti Nicolai*, in quo est sepulchrum *Sanctae Paulae*. Templum *Deiparae* virginis, ubi *Angelus Josepho* iter suscipiendum in

Aegyptum mandavit. Templum sanctorum Angelorum, ubi Pastoribus de nativitate Christi annunciatum fuerat. Sepulchra duodecim vatum. Caenobium Sancti Sabae.

---

### *Visitatio Betaniae.*

Betaniae est sepulchrum Lazari, ex quo eum Christus evocatum vitae restituit †. Domus Simonis Leprosi, in qua Sancta Maria Magdalena pedes Christi unxit. Locus ubi Martha ad Jesum dixerat: Domine si tu hic adfuisses, frater meus mortuus non esset. Domus Sanctae Marthae. Domus Mariae, ubi habitabat, ad quam Martha dixit: Magister venit et te vocat.

---

### *Visitatio fluvii Jordanis.*

Primum ibi spectatur Monasterium Sancti Joachimi, Patris Mariae virginis. Mons vel desertum, ubi Christus quadraginta dies et quadraginta noctes jejunavit †. In vertice ejus montis locus est ubi Christus a Diabolo tentatus est. Urbs Hiericho, ubi Christus in aedibus Zachaei epulatus est. Item locus ubi Christus caeco visum restituit. Caenobium Sancti Johannis Baptistae. Fluvius Jordanis, in quo Christus baptizatus est. Caenobium Divi Hieronymi in deserto. Mare mortuum, ubi quinque urbes subsidente terra undis haustae sunt. Trans flumen desertum, in quo degebat Sancta Maria Aegyptiaca.

---

### *Visitatio montanorum Judaeae.*

In montanis Judaeae est Monasterium Sanctae Crucis, ubi lignum illud crevit, ex quo Crux fabricata est. Domus Simeonis Sacerdotis, qui Christum in templo suscepit. Templum divi Johannis Baptistae, quo virgo Maria ingressa Elizabetham salutavit, et dixit: Magnificat anima mea Dominum etc. Item locus, ubi Johannes Baptista natus est †. Domus Zachariae, ubi tabellis acceptis scripsit: Johannes est nomen ejus, et dixit: Benedictus Dominus Deus etc.

---

### *Visitatio Hebronis.*

In valle Mambre est urbs, ubi Abraham tribus viris conspectis unum eorum adoravit. Locus Ebron, ubi sepultus est Adam, Abraham, Isaac, Jacob, et uxores eorum. Locus, ubi Adam creatus est. Desertum in quo Sanctus Johannes habitavit.

---

### *Peregrinatio in Nazareth.*

Primo Locus, ubi Stephanus Martyr primo est sepultus. Albira arx, in qua est templum Mariae virginis, ubi Christum amiserat. Puteus mulieris Samaritanae. Locus Neapolaza vel Sichar, ubi Josephi ossa sepulta sunt, illius, qui venditus in Aegyptum fuerat. Locus Sebasten, in quo carceri inclusus et capite truncatus est Johannes Baptista. Castellum Sehenin, ubi Christus decem leprosos sanaverat. Urbs Nain, ubi Christus filium viduae a morte revocaverat. In urbe Nazareth est templum, in quo Virgo Maria ab Angelo salutata, filium Dei concepit †. Urbs Capernaum frequentibus Christi miraculis insignis. Fons ex quo Christus matri suae aquam haurire solitus fuit. Locus ubi Judaei Christum de rupe praecipitare conabantur, ut cervicem frangeret, unde Jesus per eos medios abiit. Mons Thabor, transformatione Christi coram Discipulis celebris. Mare Galilaeae, miraculorum a Christo editorum multitudine celebratum. Urbs Tiberias, ubi Christus Mathaeum ad se sequendum evocavit, item ubi Christus ad vitam revocavit puellam defunctam filiam principis Synagogae. Locus ubi Christus cum Mathaeo convivatus est. Mons, in quo Christus quinque millia hominum quinque panibus pavit. Item Mons Sinai ejusmodi facto Christi clarus, nimirum ubi quatuor millia hominum septem panibus ab eo satiata sunt. Urbs Sidon, ubi mulier exclamans ad eum dixit: Beatus venter qui te portavit etc. Urbs Tyrus, ubi Christus sanavit filiam mulieris Cananaeae. Et alia loca, quae a peregrinatoribus non adeuntur.

---

### *Visitatio Damasci.*

Non procul a Damasco apparuit Christus Sancto Paulo dicens: Saule! Saule! quid me persequeris? Item in maenibus Damasci

est fenestra, per quam Paulus in corbe demissus est. Item in urbe templum est, et domus Pauli baptismo memorabilis. Item aedes Ananiae discipuli, qui Paulum baptizavit.

---

### *Visitatio Divae Catharinae.*

Primum in ea peregrinatione aditur urbs Sazera, in qua Samson mortuus est. In monte Sinai est coenobium, quod vocatur Deiparae virginis in Dumeto, in eo conditum est corpus divae Catharinae. Non procul ab eo templo locus est, ubi Deus Moyasi apparuit in dumo ardenti. In medio montis Deus dedit Moyasi duas tabulas lapideas, in quibus insculpta erant decem praecepta †. Item Locus gramine virenti vestitus, ubi divus Honorius delictorum suorum poenitentiam egit. Aditur etiam alius mons divae Catharinae, in quo corpus ipsius ab Angelis temeratum est. Deinde et Mare rubrum.

---

### *Visitatio Aegypti.*

Primum in urbe Massara aut Cairra sunt plurima Christianorum templa, inter quae est unam Deiparae virginis, quod cognominatur de Columna, ibi est corpus Sanctae Barbarae virginis. Fluvius qui ex Paradiso terrestri profuit. Hortus Balsaminus. Coenobium divi Antonii, et Pauli primi Eremitae, Macharii et aliorum plurimum. Ab urbe Massara, quantum trium dierum itinere expeditus pedes progredi posset, in interioribus Aegypti jacet regio nomine Monfeluta, in qua est coenobium nomine Elmarach, quod sacellum habet, in quo Beata virgo septem annos egit cum Christo filio suo, et Josepho. Ejus facti memoriam omnes Christiani, qui Aegyptum inhabitant, die Palmarum recolunt. In urbe Alexandrina excruciatam est Sancta Catharina. Ibi etiam vitam finivit Sanctus Johannes Eleemosinarius. Ibidem tortus fuerat Marcus Evangelista, et sepultus.

---